Quelle: https://manuscripta.at/?ID=874
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

39

rursus inequalis. Et superficiei superficies inequalis et equalis. Et corpus
equale et inequale dicitur. Numerus quoque et tempus et locus equalis atque inequalis dicitur.
In aliis autem que quantitates non sunt non est facile ut equalitas et inequalitas
nominetur. Dispositiones que affectiones nominantur non dicuntur e-
quales et inequales sed magis similes. Dispositio autem vel affectio est ad
aliquam rem accomodatio et applicatio ut si quis grammaticam legens quod
nondum perdidicit habet eam ad aliquam dispositionem, id est ea affectus est et
habet aliquid accomodatum et quasi propinquum. Possunt autem similiter esse
duo dispositi et affecti. Equaliter vero minime ut duo similiter albi.
equaliter vero non. Nam si quis de duobus similiter albis equaliter esse albos dicat
recta nominis nuncupatione non utitur. Omne enim equale et inequale
in mensura et quantitate perficitur. Simile vero et dissimile quemadmo-
dum de quantitate non dicitur. Ita nec de alia qualibet nisi de quantitate recte
equalitas et inequalitas nuncupatur. Quare proprium est quantitatis equale
et inequale nominari. Sed quoniam de quantitate dictum est ad relati-
vorum ordinem transeamus.

Post quantitatis tractatum tercium predicamentum de relativis
ingreditur. Que relativa hoc modo diffinit. Ad aliquid vero talia
dicuntur quecumque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur vel quomodolibet ad
aliud aliquid. Cur autem de his que sunt ad aliquid disserat omisso inte-
rim de qualitate tractatu. hec est causa quod posita quantitate magis
minus quoque esse ne- cesse est. Quare cum quantitatem ad aliquid continuo
consequatur recte post quantitatem relativorum series ordinata
est. Illud quoque est in causa quod superius cum de quantitate tractaret relati-
vorum mentio facta est cum de magno parvoque diceret. Ut igitur continens
esset non interrupta operis distinctio ideo quantitati finita relationem
proposuit. Quod autem ait ad aliquid vero talia dicuntur. hoc monstrat quod
sicut quantitas per se et singulariter intelligi potest eodemque modo substan-
tia vel qualitas vel unumquodque aliorum predicamentorum sicut per se constat ita et sin-
gulariter intelligitur sic ad aliquid per se et singulariter capi intelle-
ctu non potest. ut dicamus esse ad aliquid singulare. Quicquid in natura re-
lationis cognoscitur id cum alio necesse est considerari. Cum igitur dico dominus
per se ipsum nichil est si servus desit. Quocirca cum unius relativi nomi-